Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2617

Quelle:
Copyright:

dam *in vicum vendentem tus et odores* amandant, non levi certe literariae Hiſtoriae jactura.

XV. *fol.* 142. *Scriptum Alme vniuerſitatis Studij Wiennen.* Ferventibus inter *Eugenium* Pont. et Patres *Baſileenſes* diſſidiis viſum erat *Germaniae* Principibus aliquamdiu ſententiam inter utrosque ſuſpendere, atque in hujus propoſiti conſortium Archiepiſcopum etiam *Salisburg.* qui tunc erat *Johannes* II. invitare. Vertit is ſe ad *Viennenſis* Academiae conſilia. En igitur ejus mentem et Reſponſum, quo Archiepiſcopo nequaquam a Concilii partibus diſcedendum cenſet. Initium: *Circa materiam vnionis quam inierant Reverendiſſimi patres et illuſtriſſimi principes ſacri Romani Imperii electores ut dicitur vna cum alijs principibus et prelatis occaſione cuiusdam neutralitatis ſeruande pro bono pacis procurande inter ſacrum concilium et dominum olim dictum Eugenium* &c. Nota *olim dictum.* Itaque Concilii autoritas toto ſcripto fortiter propugnatur, et inter alia ad objectum *Juliani* Card. *S. Angeli* a Concilio ad *Eugenium* et *Florentiam* transgreſſi exemplum ita reſpondetur: *Fateor, quod pater legatus dominus Julianus in Baſilea exiſtens homo et vir optimus erat nec aliquis ibidem tunc ſibi ſimilis videbatur eciam licet in argumento dicatur Cardinalis ſancti Angeli vulgariter nuncupatus, forcius tamen eſſet argumentum, ſi angelus de celo foret et ſic egiſſet, ſed nec ſic in hoc negotio imitandus eſſet quia autoritas ſacri Concilij ewangelice Veritati ut immobili fundamento innititur, ſed nec angelo de celo contra ewangelicam veritatem credere debere docet nos apoſtolus — Sed quis neſciat eciam dominum Julianum cardinalem ſancti angeli non angelum ſed purum hominem eſſe* &c. Scriptum iſtud non ante finem anni 1439. exaratum fuiſſe, inde liquet, quod Autor *Albertum* II. Imp. *diue memorie* adpellet. Quis vero is fuerit, liquet e clauſula: *Et ſic eſt finis determinationis ſeu conſilij vniuerſitatis Wiennen. quam uel quod dederunt metropolitano ſuo Archiepiſcopo Salczeburgen. Et licet multa fuiſſent hincinde per doctores collecta conſilia preſertim doctorum facultatis theologice, magis tamen inter cetera placuit hoc in materia et forma que erat collecta per ſollemniſſimum ſacre pagine doctorem magiſtrum Narciſſum Hercz de perching* &c. de quo Viro aliquid *Cod.* CCCLXVI. Agitur de praeſenti negotio in *Seb. Mitterndorferi Conſp. Hiſt. Univ. Vien.* ad an. 1439. — 41. referturque, improbatam ab Univerſitate fuiſſe *Neutralitatem* illam; non tamen additur, Theologos ſaltem pro Concilio contra *Eugenium* ſtetiſſe.

XVI. *fol.* 151. Alia ejusdem Univerſitatis in eadem materia Conſultatio, quae inſcribitur: *Super conſultacione Reverendiſſimi in chriſto p. et d. d. F.* (Friderici, qui Johanni 1441. defuncto ſucceſſerat) *Archiepiſcopi Salczeburgen. nec non Apoſtolice Sedis legati deliberacio et conſilium Studij incliti Wyennen.* Initium: *Videtur*